

ceptorum administratione ille, qui est actu a Daemone obsessus, Textus in *Canone Maritum dist. 33. ibi: vel afflictione Diaboli vexatus est; et concordat Canon. 13. Concilii Tolentani 11. ibi: bene quidem majorum regulis definitum est, ut daemone aliisque similibus passionibus irretitis ministeria sacra tractare non liceat, cui praecepto, consensu rationis adhibito, id communiter definimus, ut nullus de his, qui aut in terram arrepti a Daemonibus eliduntur, aut quolibet modo vexationis incursum efferuntur, vel Sacris audeant ministrare Altaribus vel indiscussi se Divinis ingerant Sacramentis.* Alibi quoad obsessos, postquam Ordines receperunt, decernitur, eosdem in Ordinibus ministrare non posse, nisi saltem post unius anni spatium fuerint liberati et Episcopus suum praestiterit assensum, uti legitur in *Canone Communiter dist. 33. ibi: qui tamen et ipsi tamdiu erunt ab Officii sui Ordine et loco suspensi quousque unius anni spatio per discretionem Episcopi inveniantur ab incursum Daemonum liberati.* Quoad obsessos vero et jam liberatos: an ad Clericatum, si adhuc Clerici non sint, vel ad majores Ordines, si Clerici sint, ascendere et promoveri possint, aliqua adesse videtur in Sacris Canonibus Antinomia; in antiquo enim et venerabili Canone 78. inter eos, qui Apostolici dicuntur, sic legitur: *si quis Daemonem habet, Clericus non efficitur, sed nec cum fidelibus preces fundito; Mundatus vero recipitor et si fuerit dignus, efficitur scilicet Clericus;* et e contra in *Canone Clerici dist. 33.,* sic disponitur: *Clerici, qui in Adolescentia a Daemonibus cognoscuntur obsessi, ad superiorem sacri regiminis gradum ascendere non possunt, et hinc factum est, ut nonnulli, quemadmodum visum est ex Auctoribus, censuerint*

obsessum a Daemone, sed liberatum, posse ad Clericatum, et ad ultiores Ordines promoveri, propter auctoritatem videlicet Canonis Apostolici, cui dicunt derogatum non fuisse ab allegato *Canone Clerici,* cum intelligi hic possit de obsessis a Daemone et non liberatis, et alii e contra senserint, obsessum a Daemone, licet liberatum, esse perpetuo irregularem quoad Ordines suscipiendos, cum Canon Apostolicus editus fuerit tempore, quo pauci inveniebantur, qui Clerici esse vellent, et posterior Canon Clerici praesentem rerum statum respiciat, in quo homines non desunt, qui Altaris Ministerio inserviant et Clericatum assumant.

Postremam hanc opinionem Sacra haec Congregatio amplexa est in Panormitana dispensationis 10. Aprilis 1683, ut ex sequenti habetur resolutione: *Frater Mansuetus de Panormo Clericus Ordinis Minorum Observantium Reformatorum S. Francisci ejusdem Provinciae exponens Sac. Poenitentiariae, se per aliquod tempus a Daemone obsessum jam a biennio integro liberatum fuisse, supplicavit secum dispensari super irregularitate exinde contracta ad effectum suscipiendi Ordines Sacros. At Sacra Poenitentiariae audito Procuratore Generali, qui ita retulit: Vesposto dall Oratore è vero; come appare da una fede autentica sottoscritta da Religiosi degni di fede, e confermata da quel suo Superiore Provinciale, onde si potra graziare tanto parerà a Sua Beatitudine instantiam remisit ad hanc Sacram Congregationem, cui proinde supplicatur declarare: an petita dispensatio Oratori sit concedenda etc.?*

S. C. C. resp.: *Pro nunc negative.*

His stantibus dignabuntur EE. VV. discernere:

I. *An Orator sit de jure irregularis quoad Ordines suscipiendos in casu?* et quatenus affirmative;

II. *An ei sit concedenda dispensatio in casu etc.?*

S. C. resp.:

*Ad I.:* Affirmative.

*Ad II.:* Pro nunc negative.

Die 10. Junii et 2. Decb. 1724.

Gelasius I. dil. fr. Episcopis per Lucanicam, Brutios et Siciliam constitutis.

Usque adeo sane conferimus, illicita quaeque prorumpere, ut daemoneiacis similibusque passionibus irretitis ministeria sacrosancta tractare tribuatur. Quibus si hoc opere positus aliquid propriae necessitatis occurrat, quis de sua fidelium salute confidet, ubi ministros ipsos curationis humanae tanta perspexerit calamitate vexari? atque ideo necessario removendi sunt, ne quibuslibet, pro quibus Christus est mortuus, scandalum generetur infirmis. Postremo si corpore sauciatum fortassis aut debilem nequaquam sancta contingere lex divina permittit: quanto magis doni coelestis dispensatores esse non convenit, quod est deterius, mente percussos?

Die 11. Mart. 494.

(Bull. r. t. I. p. 105 n. 21. Ed. Aug. Taur. 1857.)

## OCCURRENTIA.

### 1) Festorum.

Vd.: *Concurrentia fest.; Translatio; Dies fixus.*

### 2) Festi dupl. in dominica.

*Ad dubium:* An officia transl. et fixa diebus, quibus aliunde deberet fieri Off. de ea, sint tanquam dies propriae eorumdem Sanctorum ad exclusionem cujuscunque alterius translati Sancti, qui possit aliquando contingere et insuper: *an occurrentia similia officia dupl. in die dominica possint*

*celebrari in tali die, ac si esset dies, eorum propria?*

S. C. resp.: Affirm. in Omnibus. Die 28. Julii 1742. In *Tergestina.*

## OCTAVA.

### 1) Cessatio.

Cf.: *Octava Corp. Chr.* (Officia infra etc.); *Patron. princip.* (Transl. festi); *Octava* (terminatio); *Festum* (extra suam oct. cadens); *Dies octava* (Ritus; decr. n. 3277); *S. Januar.* (Off.)

*Ad dubium* Benedictinor. Einsidl.: an in dominica Passionis infra Octavam s. Benedicti cadente et ejusdem dominicae in 1. vesp. sit omittenda commemor. octavae? S. C. resp.: In 1. vesp. facienda est commemoratio de die infra octavam, quando octava celebratur post dominicam Passionis; secus autem, si dies octava incidat in eandem dominicam Passionis, quia propter domin. privilegiatam cessat octava. n. 4044 (2do) ad 5 die 23. Julii 1736.

Quum Rmus Pampilonen. Ep. in praesentiarum etiam Apost. Administrator Archidioec. Burgen. compererit inter Directores s. Functionum in Hispania diversas vigere opiniones circa continuationem Octavarum, quae alicubi locum habent, dum supervenit Solemnitas SSmi Corp. Chr., ac aliis pro viribus sustentibus cessandum omnino ab aliis Octavis superveniente Festo cum Oct. SSmi Corp. Chr., contradicant qui protuentur sententiam, intra eandem Oct. SSmi Corp. Chr. locum habere debere inchoatas alias Oct., pastoralis sui muneris esse duxit S. R. C. rogare ut super proposita controversia definitivam sententiam suam producere dignaretur ad exoptatam uniformitatem assequendam, eo vel magis quia utraque pars suam communitat sententiam Decretis alias datis a S. ipsa R. C., non attendentes Decreta ipsa justissimis de causis data fuisse prout necessitates vel particulares circumstantiae exi-



Octavae Solemnitatis SSmi Corporis Chr. Officium cum Missa de eadem Octava, exceptis tamen Festivitatibus S. Joannis Baptistae et SS. Apostolorum Petri et Pauli, quoties in eadem Octavam incidissent, et per suas Literas Apostolicas in forma Brevis datas Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 5. Martii 1776, idem Decretum confirmaverit, pervenit subinde ad aures Sanctitatis Suae in exemplis earumdem Literarum per Hispanias evulgatis in iis verbis: Duabus Festivitatibus praefatis tantum exceptis, loco particulae *tantum* suffectam fuisse particulam *minime* ante verbum exceptis, contra ac legitur in autographo earumdem Literarum, quod est in Archivio Brevium et in exemplo, quod etiam Romae asservatur apud Regium Hispaniarum negotiorum Gestorem. Et quoniam ex hujusmodi verbi variatione factum est, ut eadem Festivitates nequaquam censerentur amplius exceptae, Episcopus Santanderien., cum de pluribus liturgicis quaestionibus S. R. C. consulisset, illud etiam declarari petiit, in quam die post Octavam SSmi Corporis Christi collocandum esset Officium Festivitatis s. Joannis Baptistae, si in aliquo ejusdem Octavae die occurreret; cumque eidem S. C. exemplum aequivalentium Literarum Apostolicarum exhibitum fuisset, eadem S. C. in respondendo decepta est. Placuit itaque Sanctitati Suae, audito hac super re R. S. D. Hieronymo Napulionio Promotore Fidei, mandare, ut significaretur Ecclesiis Dominiorum Regis Hispaniarum error, qui irrepsit in exempla earumdem Literarum: ideoque declararetur Festivitates s. Joannis Baptistae et SS. Apostolorum Petri et Pauli in omni Ditione Regis Catholici non esse transferendas, quoties incidant in Octavam SSmi Corporis Christi et Decretum antedictae S. R. C. sive Resolutionem 1. Dubii in Santanderien. Re-

solutionis Dubiorum emissam die 26. Januarii 1793 locum amplius non habere. Quapropter Amplitudo Tua curet, ut haec SSmi Domini declaratio omnibus Ecclesiis comprehensis in Ditione Serenissimi Hispaniarum Regis Catholici innotescat et Amplitudini Tuae diuturnam exopto felicitatem.

Amplitudinis Tuae. Romae 16. Dec. 1796. Pirgien. Archiepiscopo Nuntio Apostolico apud Regem Catholicum. n. 4472.

Cum Rector ac Beneficarii Ecclesiae Parochialis titulo S. Joannis Baptistae Oppidi Ecyae Civitatis nuncupat., Dioecesis Hispalen., supplices fuerint ad S. R. C. pro declaratione sequentis Dubii, videlicet: Utrum in dicta Ecclesia Officium S. Joannis Baptistae Titularis sit recitandum vel Officium Corporis Christi, quando Nativitas S. Joannis incidat infra Octavam solemnitatis SSmi Corporis Christi vel in ipsa die octava, quae tota privilegiata est in Regnis Hispaniarum? Eadem S. C., audita sententia unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris, typorum ope vulgata, referente Emo et Rmo D. Card. Matthaео Ponente, noscens Dubium hujusmodi ex eo ortum fuisse, quod reputetur in Regnis Hispaniarum Octavam solemnitatis SSmi Corp. Chr. ita ex concessione Apostolica esse privilegiatam, ut excludat festa cujuscumque ritus, etiam illa Nativitatis S. Joannis Baptistae et SS. Apostolorum Petri et Pauli, si in ea occurrerint, quod veritati non cohaeret, cum Apostolica concessio dicti privilegii illa duo tantum Festa excepta voluerit et solum per errorem, forsitan ex amanuensis, vel typographi oscitantia irreptum in impressione Apostolicarum literarum in forma Brevis diei 5. Martii 1776, existimatum fuisse praefata duo Festa excludi a diebus infra Octavam SSmi Corporis Christi, de quo errore certior factus S. M. Pius VI. voluit illius no-

titiam per Epistolam istiusmet S. R. C. datum die 16. Decembris 1796 ad Archiepiscopum Pirgiens. tunc apud Regem Catholicum Nuntium Apostolicum, evulgari ad universum Hispaniarum Clerum, cum declaratione, quod responsio ab eadem S. C. tradita ad 1. Dubium in Santanderien. diei 26. Januarii 1793, in quo ipsa praesens quaestio proponebatur, utpote innixa exemplo pariter erroneo tunc exhibitio praefatarum literarum Apostolicarum, amplius locum non haberet. Rescripsit hodie: „Praevio recessu a decisio in supradicta Santanderien. ad primum Dubium: Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam.“ Et ita declaravit ac servari mandavit. n. 4486 die 14. Maii 1813.

Cum Congregatio Canonico. Regul. s. Crucis Conimbricen. Ord. s. Aug. in Lusitaniae Regno summopere desideret uniformitatem Calendarii in tota Congreg. et in insigni Colleg. de Cedeifeita, quae ex concessione apost. praedictae Congregationis calendario utitur, haberique non possit tam desiderata uniformitas in celebratione festi s. Antonii Ulysiponensis, quod in Lusitaniae regno sub ritu 1. cl. cum octava celebratur, propterea quod ob occurrenceam cum festo ss. Corpor. Chr., quod etiam sub eodem ritu cum octava privileg. veluti Epiphania celebratur, in primam diem festo 9. II. non impeditam sit aliquoties transferendum, qualis dies in praefata Colleg. a 5. die Junii usque ad anni finem desideratur; idcirco Orator deprecatur, ut hinc in posterum, quoties praedictum s. Antonii festum die ipsi propria, Idibus scilicet Junii vel etiam die octava festi celebrari nequirit, diem Junii vigesimam tertiam designare dignetur S. C., in qua tamquam in die propria hoc festum in tota Congregatione celebretur cum commemor. vero festi 9. II. tunc occurrenceam, si

usque ad anni finem ulla non fuerit dies non impedita, in quam festum occurrens transferatur? S. C. resp.: Festum s. Antonii in casu transferendum in proximiorum semiduplicem cum istius commemorat. tam in Laudibus quam in utrisque vesperis et 9. I. historica; in defectu autem semiduplicis ad proximiorum duplicem item cum istius commemor. etc. ut supra et quoad octavam serventur rubricae. n. 4538 ad 1 die 4. Junii 1817.

NOTA GARDELLINI AD HOC DECRETUM:

Octava solemnitatis SSmi Corporis Chr. ex praescripto Rubricarum et Decretorum S. R. C. pluribus gaudet privilegiis, quae inter illud praecipuum est, quod admittit dumtaxat duplicia occurrenceam, sed non item translata, nisi sint duplicia I. et II. cl., veluti habetur in Ulysiponen. die 5. Maji 1699. Verumtamen ad pietatem magis magisque fovendam erga tantum divinae charitatis mysterium non se difficilem praebuit Apost. Sedes supplicationibus Regum et Episcoporum petentium ampliori aliqua praerogativa idem Festum decorari. Ideo quandoque indulget, ut in aliquibus Dioecibus, Provinciis et Regnis ea solemnitate hoc Festum celebrari posset, ut dumtaxat admitteret duplicia I. vel II. cl., tam occurrenceam quam translata vel tantum occurrenceam: quandoque vero hanc Octavam elevavit ad instar Epiphaniae, intra cujus Octavam fit tantum de *Patrono vel Titulari Ecclesiae et Dedicatione ejusdem*, non tamen in die Octava, quae excludit quodcumque Festum occurrens, licet sit ritus dupl. I. cl. (Rubric. tit. 7. de Octavis n. 3.) Insigni hoc privilegio gaudet solemnitas Corporis Christi ex Apostolica concessione in Lusitaniae Regno; quamobrem si Festum dupl. I. cl. occurrat in ipso die festo vel



in die octava, ulterius est transferendum, et infra Octavam locum tantummodo habere potest in casu occurrentiae. Casus aliquando datur occurrentiae Festi S. Antonii Patavini, quod eo in Regno solemnissimum est ritumque obtinet I. cl. cum Octava; sed illud accidit incommodi in huiusmodi occurrentia Congregationi Canonicorum Regularium S. Crucis Conimbricen. Ord. S. Augustini, ut, posita huiusmodi occurrentia, usque ad anni finem nullam habeant diem vacuam pro repositione. Quid ergo agendum? Reducendumne erit tantum Festum ad ritum simplicem per accidens? Id non patitur ejusdem celebritas, an vero, dum impedita est dies propria, alia certa nec in posterum immutanda pro repositione assignanda est, prout petitur? Id adversatur Rubricarum regulae de translatione Festorum. Facile tamen est remedium; nam S. R. C. suo generali Decreto huic incommodo occurrit sub die 30. Martii 1804 declarando, Festa dupl. II. cl. (potiori jure idem dicendum de Festis I. cl.), pro quorum repositione usque ad anni finem nulla dies vacua supersit, „transferenda esse in proximiorum diem, etiam impeditam Festo semidupl. aut dupl., quod illo anno redigatur ad ritum simplicem, firmis remanentibus aliis declarationibus emanatis de Festis inferioris ritus in similibus casibus non transferendis, sed ad ritum simplicem redigendis.“ Igitur in specie proposita Festum S. Antonii a praefatis Canonicis Regularibus transferri posse videtur ad primam diem impeditam Festo ritus semidupl. et in hujus defectu, ad proximiorum duplicem, omissa tamen Octava, nisi dies aliqui infra eandem, a Festo computandi, supersint, veluti jubent Rubricae de Octavis.

Ordini Carmelitor. in Lithuania exalceat. Octavam Corp. Chr. uti privilegiam habenti ex Indulto ap. de

21. Apr. 1738 resp. S. C.: Si octava inchoata sit ante festum Corp. Chr., eo adveniente, Octava est deserenda. Quodsi infra octavam occurrat festum sub ritu dupl. I. cl., de eo celebretur Officium cum comm. Octavae Corp. Chr., infra cujus octavam fiet de ipsa octava Corp. Chr. cum comm. octavae occurrentis. Si vero infra octavam Corp. Chr. occurrat festum 2. cl., nihil de eo fit, sed transfertur post octavam Corp. Chr., pereunte octava festi translata, si post octo dies a die ejusdem festi Octava celebretur. n. 4110 ad 8 die 22. Apr. 1741.

*Ad dubium:* 1. Quum Clero Civitatis ac Dioecesis Veronen. a s. m. Pio Papa VII. sub die 16. Nov. 1819 concessa fuerit facultas celebrandi Officium de Solemnitate Corporis Christi singulis Octavae diebus, excepta tamen occurrentia Officii ritus dupl. I. aut II. Cl., quaeritur: an illud verbum *occurentia* late sit intelligendum ita ut in exceptione comprehendatur Duplicia I. vel II. Cl. etiam translata, juxta Declarationem S. R. C. diei 10. Sept. 1796 in una Panormitana?

2. Quum juxta Decretum S. R. C. diei 12. Martii 1836 in una Dubiorum ad 2. de diebus Octavis semper recitari debeat Officium etiam intra Octavas privilegias, etsi in concessionibus non fuerit facta de iisdem diebus octavis specialis exceptio, quaeritur: an in Dioecesi Veronensi Officium ritus dupl. I. vel II. Cl. gaudens Octava, quoties in die propria praepeditur alio Festo majoris ritus vel dignitatis, neque reponi possit in diebus praecedentibus Solemnitatem Corporis Christi, recitari valeat in prima die infra Octavam SSmi Corp. Christi vel saltem in die, in qua alias ageretur de die Octava praedicti Festi?

Emi et Rmi P. . . . rescribendum censuerunt:

Ad 1.: „Affirmative.“

Ad 2.: „Recitandum ex praecedenti die infra Octavam.“

Atque ita rescripserunt propositaque Dubia declaraverunt. n. 5196 die 17. Sept. 1853.

Placuit S. S. mandare, ut declararetur festivit. s. Joann. Baptistae et SS. Ap. Petri et Pauli *in omni ditione Regis catholici non esse transferendas*, quoties incidant in octavam SS. Corp. Chr. et decr. S. R. C. sive resolutionem 1. dubii in Santander. emissam 26. Jan. 1793 locum amplius non habere.

Romae 16. Decb. 1796 Hispaniarum et 14. Maii 1803 in Hispalen.

*Ad dubium:* Quotquot in lucem prodierunt post Urbanum VIII. Missalis Romani editiones, recentioribus tantummodo exceptis, rubricam Missae de solemnitate Corporis Christi his verbis concipiunt: *Infra octavam dicitur haec eadem Missa et non fit de aliquo Sancto, nisi fuerit duplex occurrens, non autem translata.* Rubricae huic perfecte concordat parallela Breviarii Romani rubrica ante officium Corporis Christi, quae ita se habet: *Infra octavam non fit de festo, nisi fuerit duplex . . . nec fit de duplici translato.* Verum quum in recentioribus editionibus primae rubricae addita privato arbitrio haec verba fuerint: *Nisi sit primae vel secundae classis*, factum hinc est, ut, quae intra utramque rubricam aderat olim perfectissima consonantia, ob recens istiusmodi additamentum omnino cessaverit. Ceterum quum denegari non possit, verba: *Nisi sit primae vel secundae classis*, cohaerere declarationi in nonnullis particularibus decretis a Sacra Rituum Congregatione factae, praesertim in Ulyxbonen. diei 30. Maii 1699 ad 2, hinc quaeritur: an a praedicta Missalis rubrica expungenda sint verba re-

centius addita: *Nisi sint primae vel secundae classis?*

S. C. R. resp.: Negative, eademque verba addantur in novis Breviarii Romani editionibus.

Die 25. Sept. 1860.

#### d) Privilegiata.

Vd.: *Octava* (cessat. decr. n. 5106); *Dedicatio Eccles.* (transl.; decr. n. 5180); *SS. Trinitas* (test. privil.).

#### Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi nuper Nobis fecit dil. fil. Michael Maria Procur. gener. Ord. FFR. B. V. M. de Mercede Redempt. Captivorum. Exalceat. nuncupat., quod per Constitut. praefati Ord. confirmatas praescriptum reperitur, ut fest. SS. Corp. et per septem dies immediate seq. in omnibus conventibus ejusd. Ord. praevia SS. Sacramenti expositione ac Matutino cantato celebretur. Dictus vero Procurator gener. Octavam festi huiusmodi privileg. in posterum per Ordinem praefatum celebrandam per Nos sibi concedi plurimum desiderat. Nos igitur ejusdem precibus annuere volentes temporibus futuris in dicto universo Ordine Octava SS. Corp. Chr. in posterum sit privileg., ita ut per octavam Off. et Missa de eadem Octava celebretur exceptis festis I. cl. et servata semper rubrica de translatione festorum tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Non obstantibus Quibuscunque.

Romae die 14. Maii 1763.

(Bull. r. Continuatio t. II. p. 349. Ed. Rom. 1837.)

Calendarista Ord. Militaris Equitum Chr. in regno Lusitaniae dubitat:

1. num ex vi Indulti apost. de 9. Junii 1790 Octava Corpor. Chr. censenda sit privilegiata in primo vel secundo gradu?



gere videbantur. Religiosissimi memorati Pampilonen. Antistitis pium studium quammaxime commendantes Emi et Rmi P. S. Ritibus tuendis praepositi, post auditam ab infrascripto Secretario fidelem relationem eorum omnium, quae ab eodem Ep. enunciabantur, ac diligens de more examen singularum rationum, quae S. C. alias adduxere ad edendas diversas in casu responsiones in Ordinariis Comitibus ad Quirinale subsignata die coadunati rescribendum censuerunt: „Serventur Rubricae et Decreta, seu abrumpendas esse Octavas solum quando Festum SSmi Corp. Chr. privilegio gaudet ad instar Epiphaniae.“

Atque ita rescripsere ac servandum mandarunt. n. 5106 die 11. Septbr. 1847.

Expositum fuit in S. R. C., quod in Hispania ex Indulto ap. recitatur Officium de festo s. Juliani Ep. Conchensis die 28. Jan. cum octava; sed quia anno futuro 1693 incidit fer. IV. Ciner. in diem octavam et secundum rubricam 7. Brev. rom. de octavis adveniente Quadragesima cessat quaecumque octava, propterea dubitatur: an in fer. III. praecedenti cessare debeat octava ad Nonam aut ad Completorium hujus diei? S. C. resp.: Officium recitandum esse de die infra octavam usque ad Nonam, vespere autem esse debere feriales. Die 17. Maii 1692 in Hispan.

In Hispaniarum Regnis die 18. Dec. celebratur festum Expectationis B. V. M. et ne feriales antiphonae ad laud. et per hh. pro illo die assignatae omittentur SS. Gregorii XIII. fel. record. in bulla incipiente: *Officii cura*, proprio motu expedita, decrevit, quod praedictae antiphonae dicerentur a die 16. Dubitatur: An eo, quod in rubrica de octavis n. 1. prohibetur celebritas cujuscumque octavae inchoatae a die

17. Decbr. ut dictum est n. 1., et quia haec prohibitio fuit facta eo. quod praedictae antiphonae dicebantur a die 17, in Hispania sit omittenda quaecumque Octava inchoata a die 16.?

S. C. resp.: In Hispania et ubi contingit incipi antiphonas privilegiatas ante festum Nativit. D. die 16. Decbr., debet etiam die 16. locum habere regula rubricae de octavis n. 1., quia in eis militat eadem ratio, quae alibi die 17. Die 16. Jan. 1677 in Hispanen.

### 2) Commemoratio.

Vd.: *Commemorat. octav.* (ordo.)

### 3) Concurrentia.

*Ad dubium:* Quando duae octavae simul concurrunt, scilicet Patroni principalis sub ritu dupl. I. cl. et B. V. M. sub ritu 2. cl., de quo infra octavam sit dicendum Officium?

S. C. resp.: Recitandum Off. de Patrono princ. cum com. octavae B. V. M. n. 3565 ad 2 die 19. Junii 1700.

*Ad dubium:* an in concurrentia duarum octavarum, nempe s. Patroni loci et Conceptionis B. M. V., de qua a PP. Barnabitis sit peragendum Officium?

S. C. resp.: Fiat Officium de octava s. Patroni cum commem. octavae Conceptionis. n. 3830 die 13. Sept. 1710.

Clerus Terrae s. Nicolai celebrare solet festum s. Nicolai E. Patroni ejusdem loci cum octava; sed biduo post celebratur festum immac. Concept. B. V. M. cum octava, cum sit Patrona totius Regni Neapolis? Quae Officia essentne inter easdem octavas explenda?

S. C. resp.: Infra octavas praedictas fieri debet officium de octava immac. Concept. cum comm. s. Nicolai ob majorem Officii dignitatem. n. 4286 die 29. Mart. 1760.

### 4) Corporis Christi.

a) Dies octava occurrens cum alio festo?

*Ad dubium:* Cum in Ordine Carmel. Excalceat. celebretur festum Corp. Chr. cum octava ad instar Octavae Epiphaniae, quaeritur: utrum, occurrente Nativitate J. B. cum die octava Corp. Chr., fieri debeat de s. Joanne cum commem. octavae, an vero de octava, translato festo s. Joannis? S. C. resp.: affirmative ad primam partem, negative ad secundam. n. 4487 ad 2 die 14. Maii 1803.

Vd.: *Festum s. Cord. Jesu* — comm. huj. festi.

b) Expositio SSmi infra octav. SS. Corpor. Chr.

Vd.: *Expos. SSmi infra oct. SS. Corp. Chr.; Festum SS. Corp. Chr.* (Expos. SSmi); *Indulg.* (festo et oct. SS. Corp. Chr.)

c) Officia infra oct. Corp. Chr.

Vd.: *S. Joannes Baptista* (translat. praecipue decr. n. 4044); *Transl. festi perpetuo transl.* (decr. n. 4171); *Transl. festi 1. et 2. cl. in oct. privileg.*

*Ad dub.*: An, attentis terminis Indulti, nempe, quod Octava Corp. Chr. celebratur in Hispania majori cultu, quo fieri possit, et insuper, quod tam Clerus saecularis, quam regularis teneatur in Dominiis Regis Catholici omnino recitare Officium et celebrare Missam de Octava singulis ejusdem diebus, dum infra Octavam Corporis occurrit aliqua Vigilia, debeat legi in Officio 9. Lectio Homiliae cum commemoratione Vigiliae in Laudibus et Missa, vel potius, attenta hujus Octavae celebritate, nihil tunc de Vigilia nec in Officio nec in Missa, prout servatur in Festis solemnibus ex Rubrica VII. Breviarii Romani de Vigiliis num. 2.?

S. eadem Cong., exquisita sententia unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris, referente Emo et Rmo D. Card. Archinto Praefecto, respondit: „Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam.“

Atque ita declaravit ac servari mandavit. n. 4448 ad 3 die 26. Januarii 1793.

Cum Clero Civitatis et Dioecesis Panormitanae a S. Sede Apostolica concessa fuerit Octava privilegiata Solemnitatis SSmi Corporis Christi, ita ut in singulis diebus Octavae, etiam impeditis Officio duplici, facultas sit recitandi Officium cum Missa de eadem Solemnitate, exceptis duplicibus 1. et 2. classis, orta est dubitatio Sacerdoti Petro Sanctori Directori Calendarii Patrum Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii ejusdem Civitatis: An in hujusmodi exceptione comprehendatur duplicia 1. et 2. classis tantum concurrentia vel non translata? Quapropter duplex instetit apud S. R. C., ut dubium hujusmodi declarare dignaretur.

Et eadem S. C., referente Emo et Rmo D. Card. Livizzani, exquisita prius sententia unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris, eaque perpona, rescribendum censuit: „In exceptione comprehendi etiam translata.“ Et ita declaravit.

N. 4470 die 10. Septembris 1796.

Epistola data ad Nuntium Apostolicum apud Regem Hispaniarum.

Perillustris ac Rme Domine uti Frater. Cum SSmus Dominus Noster Pius VI. Pontifex Maximus per Decretum S. R. C. latum die 15. Novembris anni 1775 ad pias preces recol. mem. Caroli III. Hispaniarum Regis Catholici benigne indulserit, ut ab utroque Clero in Regnis et Dominiis eidem Regi Catholico subjectis recitari posset in singulis diebus